

notis & in aliis agnoscunt, & in se ipsi iudicant, Vcell. general. artif. compon. orat. c. 17. id quod exemplo Theodori Tragici histrionis Aristoteles ostendit, cuius actionem cuius oratori optat. vide Claud. Mino. alleg. loc. Actionem Fabius ut plurimum Pronunciationem nominat, quem sequitur Taleus & in communi Ramaei. At inconvenientius est nomen: cum sit angustius. Cum actio non in solâ pronunciatione consistat, quæ potissimum sit ore & voce, sed & vultu & gestu perficiatur. Hac de Definito. Definitio ipsa constat formâ sive differentiâ specificâ. Genus omissum subintelligitur, altera scilicet Rhetorica pars. Forma subiecto explicatur, quale est Elocutionis enunciatio, quia in oratione venuste tropis & figuris exornata legitimè enuncianda Actio tota occupatur. Dicitur autem apta enunciatio, ad exprimendum scilicet legitimum eiusdem modum, qui in convenienti non solius pronunciationis, sed & vultus & gestus moderatione consistit. Vide & à Cicerone Actio eloquendi comes & quasi corporis quâdam eloquentia constans è voce atque motu, item sermo corporis dicitur. 3. de orat. & in orat. ad Brut. & ab eodem sic definitur. Pronunciatio est ex rerum & verborum dignitate vocis & corporis moderatio. 1. de Invent. & Pronunciatio est vocis & vultus & gestus moderatio cum venustate, l. i. ad Heren. Si mavelis, sic dices. Actio est posterior Rhetoricæ pars de elocutione aptè enunciandâ. De aliis anxie hic non disputabimus, præcepta duntaxat quàm brevissimè notabimus. Præsertim cum eruditis etiam viris supervacaneum videatur constantia, perpetua & inviolatâ Actionis præcepta præscribere & inculcare velle.)

## CAPUT II.

## I. Consistit Actio in moderatione vocis &amp; gestus.

(Divisio hæc Actionis bimembris est à subiecto. Traditur autem à Fabio lib. 11. c. 3. & ab eodem obiectis duobus aurium & oculorum illustratur, quod pars (vox) aures moveat, alterâ